



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. Vlt. Vtrum syllogismus expository conclusat vi formæ, an vi
materiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

in *Camestres*, nisi per transpositionem præmissarum: ergo non esset in *Cesare*, sed in *Camestres*. Probatur consequentia: per solam transpositionem præmissarum, quando conclusio est eadem, non variatur modus: ergo quandoquidem iste syllogismus non differret à syllogismo facto in *Camestres* circa eandem materiam, nisi per transpositionem præmissarum debet censerī factus in *Camestres* & non in alio modo distincto.

Confirmatur hoc: hi duo syllogismi fiunt in *Barbara*: omnis homo est risibilis, omne risibile est animal, ergo omnis homo est animal. Omne risibile est animal: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal; & tamen transponuntur præmissæ: ergo sola transpositio præmissarum non variat modum, & consequenter, quandoquidem syllogismus, in quo concluderetur indirecte in *Cesare*, non differret à syllogismo facto in *Camestres*, nisi per transpositionem præmissarum, debet censerī factus in *Camestres*.

Obiicies: in *Darapti* potest duplex conclusio ex iisdem præmissis inferri ita, ut in vna prædicetur quod subiicitur in altera, & è contra; nec etiam syllogismus ille potest pertinere ad vllum alium modum: ergo aliqua ex conclusionibus erit indirecta.

Respondeo negando consequentiam, quia vtraque est directa, quandoquidem illa, quæ diceretur indirecte sequi, sequeretur directissime si transponerentur præmissæ in eodem modo.

Obiicies secundo Scotum, qui 1. Prior. quæst. 16. & 17. ait dari modos indirecte cōcludentes in tribus figuris.

Respondeo id ipsū dixisse ex suppositione, quod maior propositio esset, quæ primo loco proferretur, & quod ad variationē modorū sufficeret transpositio propositionū. Et quidem ex illa hypothesi id esset verissimum.

QVÆSTIO V.

De principijs, quibus ars syllogistica innititur.

Quid
dictū de
omni

57. *Philosophus* assignauit duo principia, quibus ars syllogistica innititur, scilicet *Dictum de omni*, cui innituntur syllogismi affirmatiui, & *Dictum de nullo*, cui innituntur syllogismi negatiui. *Dictum de omni* significat quod quidquid vniuersaliter prædicatur de aliquo, prædicatur etiam de quocumque contento sub ipso, quod lumine naturali est euident, vnde apparet veritas illationis huius syllogismi facti in prima figura: *Omne vitium est detestandum: intemperantia est vitium: ergo est detestandum*: nam detestatio, quæ prædicatur in maiori de vitio in vniuersali, prædicatur in conclusione de *Intemperantia*, & in minori ostenditur, quod *Intemperantia* continetur sub vitio. *Dictum de Nullo* significat, quod quidquid vniuersaliter negatur de aliquo, negari etiā debeat de quocumque contento sub ipso. Quod etiā lumine naturali notum est, & hinc apparet veritas illationis huius syllogismi facti in *Celarè*: *Nullū animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*: nam lapis, qui negatur vniuersaliter in maiori de animalibus, negatur etiam in conclusione de homine, & in minori ostenditur quod homo continetur sub animali.

Quid
dictum
de nullo.

Nullus autem syllogismus valet, qui non potest regulari per hæc principia: & quamvis syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ, non apparent prima facie per ipsa regulari, reuera tamen regulantur, ut patet ex eo quod possint reduci ad syllogismos directos primæ figuræ.

Solet etiam assignari aliud principium, cui innituntur syllogismi, tertiæ præsertim figuræ, nimirū *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: nam quandoquidem duæ extremitates dicuntur de medio termino, in maiori vna, & in minori altera, & consequenter sunt eadē ipsi; hinc necessarium esse videtur quod sint eadē inter se, & consequenter quod vnum ex ipsis possit dici de altero.

Sed contra hoc principium opponi potest maxima difficultas ex materia de Trinitate, nepe quod si illud principium esset verū, sequeretur quod Pater & Filius essent eadē inter se, & posset dici de Patre quod sit Filius, & è cōtra; quandoquidē sunt eadē vni tertio, nepe essentia di-

uinæ, cui realiter identificantur. Vnde cum hoc sit falsū, nam Pater & filius sunt duo supposita realiter distincta, sequitur quod illud principium non sit verum.

Propter hanc difficultatem multi putant illud principium non esse vniuersaliter verum, nec valere in diuinis, licet in creatis sit vniuersaliter verum. At sane valet etiam in diuinis quoad aliqua, nam optime sequitur, ex eo quod identificentur misericordia diuina & iustitia diuina essentia diuinæ, quod etiam identificentur inter se, si sequitur in creatis ex eo, quod intellectus & voluntas identificentur animæ realiter, quod identificentur etiam inter se. Alij dicunt principium currere quidem vniuersaliter in omni materia tam diuinā: quā creatā, si tamen intelligatur bene, prout intelligi debet; quomodo autem intelligi debet, non adeo facile explicari potest, & variis modis ipsum explicandi vtuntur auctores, quos iam non placet examinare: sed tota difficultas referenda videbatur ad Tractatum de Trinitate, ubi Doctores communius eam tractare solent.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum syllogismus expositorius concludat vi forma, an vi materia.

58. *Syllogismus expositorius* secundum Doctorem 1. Posterior. q. 11. est cuius medius terminus est singularis seu discretus. Terminus autem singularis est triplex: vnus qui ita significat vnā rem singularem determinatam, ut non significet saltem vniuoce res diuersas, talis est *Petrus, hic homo, filius Regis* ex suppositione quod non habeat nisi vnicū. Alius est terminus singularis, qui significat vnā rem singularem, potest tamen dici de pluribus, quibus illa res singularis est eadem; talis est *Deus, & essentia diuina*, nam Deus & essentia diuina licet significant Deitatem, quæ vna numero est, possunt tamen prædicari de Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui distinguuntur realiter. Denique alius est terminus singularis discretus, qui significat successiue res diuersas singulares, ut *Tyber* significat aquam, quæ modo fluit hic Romæ, & aquam etiam quæ fluxit ante centum annos. Itaque ille syllogismus, cuius medius terminus est singularis, est *syllogismus expositorius*, ut *Petrus currit, Petrus loquitur*: ergo loquens currit: Deus est bonus, Pater æternus est Deus, ergo Pater æternus est bonus.

CONCLUSIO.

59. *Omnis syllogismus expositorius, regulatus per Dici de omni, aut Dici de nullo, est bonus & concludit vi forma.* Est Doctoris supra.

Probatur, quia per syllogismum expositorium ostenditur, quod syllogismi tertiæ figuræ bene concludant: ergo ipsemet bene concludit.

Deinde omnis ille syllogismus est bonus, & tenet vi formæ, quando seruata tali dispositione in quacunque materia bene concluditur: sed ita est de dispositione syllogismi expositorii: ergo. Minor patet inductione, & quia non potest ostendi, in qua materia non concluderetur. Vt autem sciatur vtrum regulatur per illa principia: si syllogismus sit affirmatiuus, maior debet fieri vniuersalis affirmatiua; si vero syllogismus sit negatiuus, maior debet fieri vniuersalis negatiua: & hinc si maior sit vera, & minor similiter, impossibile est quin conclusio sit vera, propter *Dici de omni* & *Dici de nullo*, & consequenter syllogismus regulabitur per *Dici de omni*, aut *Dici de nullo*: verbi gratia, si velimus cognoscere vtrum per *Dici de omni* regulatur hic syllogismus affirmatiuus: *Petrus currit, Petrus loquitur*, ergo loquens currit; debemus resoluerē maiorem in affirmatiuam vniuersalem hoc modo: *Omne quod est Petrus currit*, & alias propositiones addere: & quia hoc factū, si maior & minor concedantur, necesse est vt concedatur consequentia, syllogismus regulatur per *Dici de omni*. Similiter si velimus scire, vtrum syllogismus negatiuus regulatur per *Dici de nullo*, vt: *hic Petrus non loquitur, hic Petrus sedet*, ergo hoc sedens non loquitur; debemus resoluerē maiorem in vniuersalē negatiuā sic: *Omne quod est hic Petrus, nō loquitur*; & quia si præmissæ

Omnis syllogismus expositorius regulatus per Dici de omni, & nullo concludit vi formæ.

præmissæ sint veræ, impossibile est quin sit vera conclusio, propterea syllogismus est regulatus per Dici de nullo: si autem facta tali resolutione, maior nō sit vera, iudicandū est syllogismos non regulari per illa principia, & cōsequenter illationē non valere, saltē vi formæ.


Ex quibus patet, quod hic syllogismus expositorius non inferat conclusionem formaliter: *Deus est Pater, Deus est Filius, ergo Filius est Pater*, quia non regulatur per *Dici de omni*, non enim est verum quod omne, quod est Deus, sit Pater. Et idem patet de hoc etiam syllogismo expositorio: Tyber fuit Romæ à centū annis, hæc aqua, quæ modo Romæ currit, est Tyber; ergo fuit Romæ à centum annis, quia si resoluatur maior in affirmatiuam vniuersalem, non erit vera, falsum enim est quod omne quod est Tyber fuit Romæ à centum annis.



DISPUTATIONES IN DVOS LIBROS.

DE POSTERIORI RESOLUTIONE.

IN his libris agit Philosophus de *Demonstratione*, quæ est perfectissimum quid ex omnibus, quæ per se in tota Logica tractantur; & quia ad nihil aliud deseruit Demonstratio, quam acquirendam scientiam, propterea communiter solet hic etiam agi de scientia tam actuali quam habituali.



DISPUTATIO XXI. DE DEMONSTRATIONE.

RIVS tractabimus de *Demonstratione*, quàm de scientia actuali, aut habitibus, quia id magis ad Logicam spectat.

QVÆSTIO I.

De Præcognitionibus & Præcognitis.

Omnis cognitio intellectiva sit ex præexistenti cognitione.

SUPpono omnem cognitionem intellectivam, siue sit doctrina, hoc est, notitia propria industria & labore inuēta; siue sit disciplina, hoc est notitia operis Magistri & præceptoris acquisita, ex præexistenti fieri cognitione: nam omnis notitia intellectiva aut est discursiva, & sic fit ex cognitione istarū præmissarum, ex quibus deducitur; aut est iudicativa sine discursu, & sic præsupponit apprehensionem extremorum, quæ iudicantur esse vel non esse connexa; aut denique est simplex apprehensio, & sic præsupponit aliquam cognitionem alicuius sensus externi, quia iuxta vulgatum axioma: *Nihil est in intellectu, quod non fuit in sensu*. Quia ergo per demonstrationem habetur notitia intellectiva, & quidem discursiva, quæ propterea debet præsupponere alias cognitiones, ex quibus fit; queritur quanam potissimum debeant præcognosci ante demonstrationem, & quales cognitiones debent haberi de illis, quæ præcognoscenda sunt. Quæ sane res magis intricata est, quam vilis, & propterea ab ea nos breuiter expediemus.

Non queritur autem de omnibus omnino rebus, quæ præcognosci debent; sed de iis, quarum cognitio per se necessaria est, & sufficeret, modo haberetur absque aliarum rerum cognitione: vnde patet hic non agi de præcognitione sensitiua siue sensus externi, siue interni; quia quamvis necessaria sit pro hoc statu, tamen non est sic necessaria, quin si haberentur aliæ cognitiones intellectuales sine ipsa, illæ solæ sufficerent.

CONCLUSIO

2. Duæ sunt præcognitiones necessario præhabende antequam quis possit demonstrare probare conclusionem aliquam. Hæc est communis, & probatur, quia debet præcognoscere, quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis; & vterius debet præcognoscere, an præmissæ sint veræ: ergo debet habere duas præcognitiones. Consequentia patet, quia cognitio, quæ cognoscit præmissas esse veras, est distincta à cognitione, quæ cognoscit quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis. Probatur antecedens, quia si non intelligit quid sit subiectum, & quid prædicatum conclusionis, nunquam potest intelligere præmissas esse veras, & consequenter non potest assentiri illis, nam in vna ex præmissis poni debet prædicatum conclusionis, & in altera subiectum. *Sed in hoc non est difficultas*, sed vtrum debeant dari plures præcognitiones quam duæ: & ratio dubitandi est, quod etiam medius terminus debeat præcognosci; & vterius de ipso subiecto & prædicato conclusionis debeant haberi duæ præcognitiones: vnde, quandoquidem vterius debeant præmissæ cognosci, videntur requiri tres aut quatuor cognitiones.

Duæ præcognitiones præhabende ad demonstrationem.

Possit ad hoc responderi, in conclusione asseri duas, non vero negari plures, quæ vtrum dentur vel non dentur, parui est emolumenti cognoscere.

Possit etiam responderi, licet plures habendæ sint præcognitiones quam duæ, eas tamen reduci ad duas vniuersales, scilicet præcognitionem *an sit*, & ad præcognitionem *quid sit*: nulla enim videtur cognitio prærequisita proxime ad demonstrationem, quæ non sit cognitio *an sit* vel *quid sit* siue dentur plures cognitiones quam duæ, siue non dentur.

CONCLUSIO II.

3. Tria sunt præcognita, scilicet subiectum, ac prædicatum conclusionis, ac præmissa. Hæc etiam est communis, & præcognita patet ex dictis, quia illud, de quo debet haberi præcognitio, est præcognitum.

Dices: etiam medium debet præcognosci. *Respondeo primo* hoc non esse contra conclusionem. *Respondeo secundo*, medium cognosci illa cognitione, qua cognoscitur quid sit subiectum, aut quid sit prædicatum conclusionis; vnde non est præcognitum distinctum à subiecto aut prædicato.

Dices: Duæ sunt præcognitiones, ergo duo tantum erunt præcognita. *Respondeo* negando consequentiam, quia possunt plura cognosci per cognitiones eiusdem rationis, vt etiam in proposito sit, nam cognitio, quæ haberi debet de subiecto conclusionis, est cognitio quid sit, & talis etiam est cognitio, quæ habetur de prædicato conclusionis.

Quæres quid intelligitur per præcognitiones *an sit*, & *quid sit*?

Respondeo per *an sit* intelligi illam cognitionem, qua intelligit quis præmissas esse veras, vel qua intelligit aliquid existere vel posse existere; per *quid sit* vero intelligitur illa cognitio, qua cognoscitur de re quid sit, siue distincte, vt importatur per definitionem, siue confuse, vt importatur per nomen.

Quid præcognitio an sit. Quid sit.

QVÆSTIO II.

Quid sit Demonstratio.

4. DVobis modis definiuit Philosophus *Demonstrationem*, primo sic: *Demonstratio est syllogismus faciens scire*, quæ descriptio est desumpta ex fine demonstrationis, qui est generare scientiam; secundo sic: *Demonstratio est syllogismus constans præmissis veris primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis*: quæ descriptio est materialis, ostendens qualis debet esse materia, ex qua confici debet demonstratio. Vtrique autem harum demonstrationis descriptionum est bona, quia omni, & soli conuenit; sed posterior magis deseruit ad cognoscendum, quomodo debeat confici; & propterea latius explicari solet.